QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. FEBRVARII,

M· GEORGIO CORNVTY Doctore Medico Moderatore.

An Victus tenuis Senibus?

VIVENS omne acquiescit interitui, estque nullo ærario senectus redimenda. Vt antiquos extulit, sic nos trudet. Certum instat vniuscujusque fatum, quod sola resolutione terminatur, cùm sint in omnibus omnia, & ab igne cum aqua pendeat, omnium quæ naturâ sunt vel absunt γένεσις ϗ φθορά. Cuncta (si hominem exceperis) ruunt in exitium, cuius est tempus ineluctabile: at videtur Medici magistratus ab altissimo instituta creatio, vt structas omni ætati mortis insidias præcaueat, morbis renitendo, & efficaciùs sanitatem tuetur diætâ, quæ fœtus, infantes, pueros, adolescentes, æuo consistentes, senes cùm crudos, tum silicernios pascit, & à pluribus iniurijs protegit immunes. Hæc verò sanitatis cultrix scientia non esset admodum obscura, nisi Medico incumberet primam hominis compaginem, partium quæ dominantur energiam, alimentorum vires, exercitiorum metas & vices, astrorum motus indefessos, purè atque solerter intelligere,

VERVM, si quæ inter ætates obnixè diætæ patrocinium implorat, maximè senilis: ea siquidem apparet corporum ruina (cùm in sene nullæ sint robustæ functiones) & velut aperta putrilago, mox succedanei lethi consanguinea: est enim senectus ætas vltima effœta calore, algore pigra, quæ marcet ariditate necessaria, recrementorum vligine copiosa prægrauatur, & annorum certa vicissitudine contingit. Quibusdam citò & immaturè prouenit, velut ijs in quibus æstuat bilis, aut sanguis redundat, aut sapientia præcox insolescit: qui sunt aliter & humore & spiritu temperati, non nisi serò hac ætatis clade percelluntur. Pessimè verò cum senibus mortis viam ingressis ageretur, nisi Medici spectati, Lutetiæ probati vterentur sapientiâ, in quantitate & facultatibus alimentorum perpendendis, quò mala quæ ipsorum ceruicibus impendent, & quæ omnia sunt in ipsis longè quàm in juuenibus grauiora, diuinæ artis humanitate deuitent.

NVNQVAM acriùs in castris cum hominibus sæuitum est quàm in culina: nam eorum non potest numerus percenseri, quos ingluuies & gulæ condimenta in conditorium sunt prosequuta: liceat tamen pueris & adolescentibus qui nondum debita figuræ susceperunt incrementa, genio indulgere: at senibus alimentorum exuperantiâ prorsùs interdicendum, imò indigent valde mediocri pabulo. Sunt enim senes, licèt sani, ἀναληπτικῶς quauis die reficiendi, sicut Antiochus medicus solitus est se cibare, qui manè horâ nonâ vel decimâ panem cum Attico melle sumebat; prandens pisces saxatiles esitabat mediocriter; in cœna farre cum mulso vtebatur, & sic degens, integerrimis sensibus ac membris ad vltimam vitæ periodum perennauit.

NON est verò ea victus exilitas senibus instituenda, quæ per solam inediam, melicratum aut ptisanæ succum ægros antiquitus infestabat: imò alimentorum copia aut parsimonia, ex caloris qui senes refocillat efficientia superstite ponderanda: licèt enim vitæ calidum ita senes deseruerit, vt non magis alimentorum aceruum possint tolerare quàm lucernæ humore defectæ oleum multum affatim affusum, tamen quibusdam ita viridis est & vegeta senectus, vt pluribus egeant succendiculis, in quibus victus legem ex coctionis felicitate metiemur: sed habita inclinantis ætatis ratione, semper in pleniore magis quàm tenuiore victu delinquitur: ferunt enim veterani libenter jejunium, non juuenes, quia per inedias ipsorum calor, ac si foret senex φωλητὴρ, in conficienda pituita quæ luxuriat, indesinenter occupatur. Senile præterea quodcumque corpus frigidum est, vnde raro febribus inardescit, ægrè coquit, vnde nihil mirum si in hac ætate appetitus obtundatur.

HINC cùm antiqua omnis turba nihil penè possideat præter juuenilis teporis ἐμπύρευμα, cúmque vel ex causa leui pateat morbis, quòd tabe naturali, quæ in plantis ariditas est, conficiatur, necesse est vt lauto, sed modico ferculorum apparatu excipiatur, quo fiat sanitas diuturnior, & arceatur aliquandiu caloris senio fatiscentis extinctio. Debent igitur senes pane ex medulla frumenti rite parato, jusculis, gallinarum ouis, perdicibus & alijs succi gratiosi & opimi cibarijs inescari, non satiari: à piscibus & Venere semper abstinere: potum denique seligere, qui vitam foueat in immensum: an aquam fluuiatilem, aut fontanam? cereuisiam, aut succum ex pomis vel pyris expressum? minimè verò: aliàs mille incommoda quotidie senectutem adorientur & collident; nihil ipsis aptissimum præter vinum, non edentulum & imbecillum, sed veluti in Græcia Lesbium, Falernum in Italia, sic apud nos Belnense & alia calidioris naturæ, flaua, quæ senij gelu resoluant, calculum præpediant, & seri depluentis eluuiem per vreterum alueolos excludant.

Ergo Victus tenuis Senibus.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE FEBVRE, Parisinus. A.R. S· H. M. DC. XXXVI.